



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

70. An Episcopi possint ex iusta causa approbare Religiosos ad audiendas confessiones limitate, v. g. ad viros, & non ad fæminas. Ex p. 3. tract. 2. res. 25.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

dent Suarez, & alij, reuocatum esse in Tridentino; quia cum decretum etiam Tridentini sit lex Conciliaris, & Pontificia quae vim habet corrigendi superiorem legem, etiam si in iure contineatur, & licet non fiat specialis mentio illius, quando verba posterioris legis hoc requirunt, vt constat ex cap. 1. & 2. de constitut. lib. 6. & in nostro casu lex illa Tridentini nullius esset momenti pro Regularibus, nisi reuocatum esset antiquum privilegium. Facilius fortasse responderi potest cum Vasquez, & alijs, non fuisse necessarium, quod illud privilegium antiquum reuocaretur, quia illud solum erat in ordine ad iurisdictionem, ad quam obtinendam ab Episcopo ipsi presentabantur Religiosi, quibus si Episcopus nolebat iurisdictionem concedere, Summus Pontifex illam concedebat. Hoc autem non est reuocatum, quia Pontifex iam illam concedit, & concessit multis Religionibus independenter ab eo quod concedatur ab Episcopis. Tridentinum verò addidit conditionem requisitam ex parte Sacerdotis, vt ei iurisdictione concedi intelligatur, seu, vt sit idoneus ad hoc, vt ei siue à Papa, siue ab aliquo alio iurisdictione delegetur, nempe approbatio Episcopi, quae si non praecedat, Papa protestatur, se ex indispositione subiecti non concedere ei iurisdictionem, quae conditio introducta fuit de nouo à Concilio Tridentino, & circa eam non habent Religiosi eiusmodi privilegia. Hæc Lugo.

10. Qui postea subdit sententiam P. Bruni desumptam ex Nauarro, etiam si probabilis esset; ad praxim tamen parum, aut nihil posse conducere; quia facultas illa Prælati Regularibus concessa exponendi ad confessiones eos, quos presentatos Episcopus nollet acceptare; concessa quidem fuit cum multis limitationibus, quæ habentur in d. Clem. Dudum, de sepulturis, præsertim, quod renuente Episcopo aliquem ex sibi presentatis admittere, Prælati Regularis alium illius loco debeat subrogare. Item quod non plures presententur Episcopo, quam sint necessarii; Sed numerus, inquit personarum assumendarum ad huiusmodi officium exercendum, esse debet prout vniuersitas Cleri, & populi, ac multitudo, vel paucitas exigit eorundem. Quæ limitatio, licet solum procedat quoad privilegium ibi concessum, & non de facto, quia de facto Religiosus idoneus ius habet, vt approbetur, licet non sit necessarius, vt supra vidimus; Qui tamen volunt vt privilegio illius Clementinae, deberent illo vt cum illa limitatione ibi posita. Potest autem Episcopus semper, aut ferè semper dicere se nolle approbare illos Regulares; quia pro numero penitentium illius loci, non sunt necessarii plures pro nunc: cuius contrarium in praxi probare difficillimum erit, atque aded in praxi non video quomodo possit utilis esse illa sententia cuius assertio aliunde non deseruit, nisi ad irritandos, & acerbandos Episcoporum animos contra personas Regulares. Ita Lugo, & ego.

11. Quoad illa verò corollaria, quæ Brunus certissima putat, ego non certissima, sed nimis dubia, (ne dicam amplius) existimo, post Decretum Clementis VIII. & Innocentij X. & quoad primum etiam ante dicta Decreta contra Brunum tenuit Ioannes Præpositus in 3. part. q. 8. dub. 2. n. 7. qui adducit responsum Cardinalium, & ita etiam docet Pater Mendo vbi infra n. 31. & Suarez de relig. tom. 4. tr. 10. l. 9. cap. 4. num. 18.

12. Ad secundum verò, quod asserit Brunus de Confessario Regulari prævio examine Romæ à Vicario Urbis approbato, &c. Respondeo cum Eminentiſſimo Cardinali Lugo de penit. disp. 21. sect. 2. numero 29. vbi sic ait; Aliqui fortasse prætendebant per communicationem, se habere tale privile-

gium, vt semel approbati in Vrbe à Vicario Pape, conferentur approbati in toto orbe absque nouo examine. Quod quidem privilegium, ego nunquam apud aliquem Ordinem inueni: apud Congregationem verò Oratori, de Vrbe, de qua rumor ipse fuerat, inueni Bullam Sixti V. quam refert ad litteram Antonius Naldus Clericus Regularis in summ. verbo Confessio, numero 39. in qua inter alia privilegia, pro quorum perpetua confirmatione instabat S. Philippus Neri, erat hoc, vt approbati in Vrbe, non indigerent alia approbatione extra Urbem; quod quidem concessit Sixtus V. sed talibus verbis, quibus gratia redditur ferè inutilis, nempe vt semel prævio examine in Vrbe approbati, possint absque alio examine audire vbiq; confessiones, de consensu Ordinariorum. Ita Lugo.

13. Et tandem ad tertium corollarium Bruni quod certissimum putat, nempe Superiores Regulares posse excipere secularium confessiones absque approbatione, & examine Episcopi, ego contrarium sustinendum esse puto, & ita hanc sententiam, me citato, communem, & veram putat Cardinalis Lugo de Sacram. Penitent. disput. 21. sect. 1. num. 10. vt ego alibi contra aliquos satis probavi, & ita etiam me citato tenet nouissimè Andreas Mendo in Bull. Cruc. disp. 22. cap. 2. num. 30. & me citato Ioannes Dicaſtillo de Sacram. tom. 2. tract. 8. disputatione 20. dub. 2. num. 264.

## RESOL. LXX.

An Episcopi possint ex iusta causa approbare Religiosos ad audiendas Confessiones limitate, v. g. ad viros & non ad feminas: Ex p. 3. tr. 2. Ref. 25.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondeo cum Fagundez præcept. 2. lib. 7. c. 2. n. 11. & Doctoribus citatis in \* superiori resolutione pro prima sententia.

2. Sed his non obstantibus minimè grauior hic apponere verba Henrici Villalobos in sum. tom. 1. tr. 9. diff. 53. n. 2. sic asserentis. [Hauendo iusta causa pue de l'Obispo no solamente limitar à los Religiosos la licencia de confessar quanto al tiempo, sino tambien quanto à las personas, como si por falta de sciencia limitasse, que no confessassen mercaderes. Lo mismo dicen esto DD. que puede hazer Obispo por falta de edad; limitandoles, que solo confessassen hõbres, y no mugeres, hasta que tengan quarenta años. Mas lo contrario es probable, y se puede seguir seguramente, que anſi lo tuuieron hombres doctõssimos de la compaña, que fueron consultados à que cerca desto, lo qual lleua gran camio, mayormente que à penas parece que se puede dar caso, en que esto sea justificado, y es menester para ello que aya causa justa. La razon es, porque en todos los Obispos, se da vn beneficio curado à vn Clerigo de veynte quatro años sin limitacion ninguna, y por el configuiente puede confessar mugeres, no obstante que no tenga quarenta años, luego no puede haer razon para que se limite la licencia à los Religiosos, por esso respeto, pues se deue presumir dellos mayor virtud.] Ita Villalobos, & ante illum Vega in sum. tom. 1. c. 62. cas. 7. quem postea citat, & sequitur Portel. in dubijs Regul. v. Confess. 3. Vide etiam Peynum de Relig. sub tom. 1. q. 1. c. 21. §. 2. & Zanardum in direct. Theol. p. 1. de Sacrament. Penit. cap. 14. fol. 296. Verum praxis Episcoporum est in contrarium, nam limitant Regularium confessiones ad viros, & non ad feminas.

RESOL.

Sup. hoc supra post mediam, §. Quod autem, huius Ref. & in alijs eius annot.

Sup. hoc supra in §. Secundum huius Ref. & in alio eius annot.